

## II

### DECEETUM

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione :

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare ;
2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere ;
3. utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacraenta admitti nossint ;
4. utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialistam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurvant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

Emi ac Revni Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae III (loco IV), diei 28 Iunii 1949, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative* : communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt ;

Ad 2. *Negative* : prohibentur enim ipso iure (cfr. can. 1399 C. I. C.) ;

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis delegandis iis qui non sunt dispositi ;

Ad 4. *Affirmative*.

Et sequenti feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excnio ac Revmo Dno Adssessori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.

Datum Romae, die 1 Iulii 1949.

L. © S.

Petrus Vigorita, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*.